

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Amico cuidam pastori S.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

scatur. Nam subito ordinari publicis ceremoniis non potuit, postea uerò remittes eum: sed Ecclesiam decet largiri ei uiaticum. Bene uale, Die 20 Iulij, Anno 1544.

Amico cuidam Pastori s.

Credas mihi hoc, reuerēde domine Pastor, uerē affirmāti, me summa uoluptate fuisse ad uos accessurum, ut & nostrae non fucatae coniunctionis testimonium publicē ederem: & quod collegae tuo officium, id etiam tibi aequaliter deberi à me, & promptissime ac merito tuo praestari, ostenderem: & simul auulsus ab occupationibus, respirandi aliquantulum pauculos dies, & recreandi me uestris dulcissimis sermonibus, mihi sumerē. Sed simul ingruunt hisce paucis diebus tot negotiorū fluctus, uel estus potius, praesertim post aduentum ducum Pomeranicorum, ut mibi nulla ratione sit integrum hoc tempore abscedere: imò ne quidem tantum mihi nunc uacui temporis conceditur, ut illa ipsa impedimenta occupationum recēseam, atq; me de absentia satis purgare queam. Fretus autem candore tuo, quem noui, sicut scio tibi aduentum meum gratum futurum fuisse, ita non dubito te etiam non uenienti daturum esse ueniam, & nihil inde mali suspicaturū. Quod igitur solum nunc absens possum, & tuae pietati debeo, praestabo scđulo, ut ardentibus

bus uotis, uobis in auspicijs istius coniugij filie honestissime tue assistam: et Deum orem, ut illud largiatur reorū & uos faustum, felix, letum, fecundum & salutare. Addo etiam exiguum munusculū, quod filie sponse meo nomine & filie mee, cum pia satisfactione offeres: et me amplissimo Senatui quoque uestro excusabis, et gratias ages pro testificatione suae erga me benignitatis. Deus pater, et Dominus noster Iesus Christus, cum spiritu suo sancto adsit uobis, ac nobis omnibus. Date raptim idibus Maij. Cupio reuerenter saluari collegam tuum, do minum N. N. et consules utriusque oppidi.

Clarissimo uiro, D. Thomae Matthiae, consiliario incliti Principis Electoris Marchionis, &c. amico suo ueteri & charissimo,

S. D. Existimo te sepe audiuisse me recitantē epistolā Nazanzeni, in qua se excusat, cur non accedat ad synodum: Quia, inquit, magis accendunt synodi dissidia, quam tollunt. Et ita sepe fit. Vnde miror, quare conuocaueritis dissidentes Stancarum & Musculum, tanquam ad certamen institutum. Multo utilius esset, diligenter lectis eorum scriptis, et re pie et grauius iudicata, mandari silentium de falsis opinionibus. Ego uerò non defugio congressum: sed hoc tempore senatus Augustanus nunc

cium